



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Elisabetha Vidua. 19. Novembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

Nov.
o ad
hic
opi-
ille
ollis
pōst
solo
itiis
ar-
his
iju-
DEI
mi-
fa-
l &
lsus
CLI
ho-
bes
se-
ndi
de-
ffit
RO-
ou-
et,
los
in-
io.
non
ria
po-
ur.
LI-

19.Nov. VITÆ SANCTORVM. 565

S. ELISABETHA VIDUA. 19.Novemb.

A Ge superbe , qui deficiente animo ELISABETHAM ad Servatoris Christi effigiem vides, audi etiam quæ dolor intus loquitur. Nimirum me terra pulvisculum purpura involvit , tu , me Christe, heu ! nudus meam erubescis vicem. Mihi corona auro & gemmis , tibi spinis & sentibus riget. Ego pulvinaria calco , tu locum capiti circumspicis , nec eheu ! invenis. Me aula servitia vallant , te soli hostes stipant. I, purpura ; rectius sanguis me sponsi pinget. Ite gemmae ; nobiliores sub cruce legam. Abi gravis auro corona ; rosas è spinis nectam. Tollite pulvillulos ; crux , Sponsa erit lectulus. Secedito amicorum cohors ; dolores me rectius ambient. Hæc inquam tantum apud ELISABETHAM potuere, ut jam se ipsa superbior omnem pedibus mundum subderet , totamque miserorum se serviis addiceret. Ergo igitur extructo quam amplissimo xenodochio , ingentis familiæ mater nongentis quotidie victum ipsa ministrare , aquam capiti pedibusque affundere , sordes abstergere , ipsa adeò fædissima ulcera nobilissimis osculis honorare. quid ? quod conjugè è vivis erepto , arce pulsa omnes injurias ipsamque famem forti animo concoxit , damnatisque regiis fusis pulchriora sibi ipsa è cælo nevit. Interea apud Deum omnia potuit , & matrem exemit è piacularibus flammis , juvenem verò nuper ab impuris ignibus ardenter sanctioribus cæli amoribus tantum non emori fecit. Morienti ut alias sæpè Christus adstitit , & accinuere Cælites aviculam induit. Bonis igitur avibus è vitâ abiit.

Ex Iacobo Montano.

Si desideras Deum videre sublimem, humilem prius

A a 7

JESYM

JESVM videre curato : intuere prius exaltatum serpentinum in deserto , si videre desideras Regem in solio residentem. Ista te humiliet visio, ut illa exaltet humilitum: reprimat istatumorem tuum, ut illa repleat desiderium tuum. S.Bern.ferm.r.de verb.Isaiae.

S. DASIUS MART. 20. Novembris.

ID quod palam hodie , & sine larvâ dæmon facit, hoc jam olim fecit Saturnum mentitus. Voraverat hic plus quam inhumanâ ingluvie filios suos , & viscera sua in viscera crudeli dente congefferat. Scilicet divinitatem hæc impietas meruit, cui deinceps orbis puerorum sanguine ac morte litaret. Et tenuit hic mos non unam ætatem , atque Christiana sæcula etiam infamia suâ aspersit. Ita Dorostorum urbs scelere, quod nec, qui alluit illam , Ister satis eluet , annis singulis ipsum juventæ florem principemque infando sacrificio immolabat. Ut verò cò pulchriùs hoc adornaret , xxx. omnino dies omnibus deliciis victimam infelicem saginavit , utque splendidius periret , purpurâ auroque induit , sic inter risus potius quam gemitus morituram. Atque hæc sors cum DASIVM formæ omnis compendium nominasset, invitatus scilicet ad patria sacra, palam detrectavit non mortem, sed causam mortis. Nam qui Saturno noluit, rectè Christo victima proculbuit. Exhorrescit is, scio, parentes infanda hæc sacra : at quid aliud paratis , quam orco victimam, cum filios voluptatibus frangitis , vestium luxu corruptitis , & in patriæ conspectu indulgenti amplexu perimitis , ipsissimi & heu ! inter medios Christianos , Saturni ? Quam rectius , filios Christo, cum hic parvulos ad se vocat, non negaretis ?